Jahresbericht

über

das Königliche Gymnasium zu Marienwerder

von Michael 1846 bis Michael 1847.

Womit

zu der öffentlichen Prüfung aller Klassen der Anstalt

am 4ten Oktober 1847

ergebenst einladet

der Direktor

Professor Dr. Lehmann.

Vorausgeschickt ist eine Abhandlung des Oberlehrer Gross: *„Disputationis de adiectivis verbalibus in τος et τεος exeuntibus specimen alterum.“*

Marienwerder, 1847.

Gedruckt bei Friedrich August Harich.

DISPUTATIONIS

de

adiectivis verbalibus in $\overline{\tau o \varsigma}$ et $\overline{\tau \varepsilon o \varsigma}$ exeuntibus specimen alterum

scribebat

G r o s s.

Disputationis

de

adiectivis verbalibus in τος et τεος exeuntibus specimen alterum.

Ante hos septem annos, quum, lectores benevoli, vobiscum disputandi facta potestas esset, postquam de legibus, quas mihi Graeci in adiectivis verbalibus in τος et τεος formatis sequuti viderentur, disserui ac caussis, quas supra demonstravi, commotus, disputatione nostra recta via depulsa, sine certo ordine de usu eorum, quae huius generis varie nata, si non ab eadem stirpe profecta sunt, at unius verbi propinqui quasi imperio parent, aggressus sum quaerere: accidit, ut propter loci, qui mihi datus erat, angustias modo *πιστός, πειστός, πειστέος; πυστός, πευστέος; τυκτός, τευκτός; φυκτός, φευκτός, φευκτέος; ἰτός, ἰτέος* et *ἰτητός, ἰτητέος; σχετός, σχετέος* et *ἑκτός, ἑκτέος* absolverem. Quam eandem quaestionem vel particulam potius quaestionis tum necessario a me relictam, tanto temporis spatio interiecto, nunc repetam et quasi e castris, quibus adhuc continebatur, educam. Quod autem disputatiuncula nostra, quum praeter eos auctores Graecos, qui iam superiore tempore grato animo recensiti subsidia sua disputandique copias mihi miserunt, propter temporum meorum iniquitatem nunc ipsum nisi Plutarchus Thesei, Romuli, Lycurgi, Numae, Solonis, Poplicolae, Themistocli, Camilli, Pericli, Fabii Maximi, C. Jul. Caesaris, Phocionis, Catonis Minoris, Agidis, Cleomenis vitas et Arrianus eum librum, qui Alexandri Magni anabasis est inscriptus, nemo nobis veterum auxiliaria miserit, parum auctis copiis in aciem procedat, fieri vix potest, ut vos memet ipso magis moleste feratis. Spero vero, mox etiam fore, ut aliarum rerum cura ab institutis studiis me minus deflectente maiorum copiarum fiducia nisus rei gerendae, si non par sim, at magis sufficiam. In praesentia rerum, quae vobis sum traditurus, quo pro humanitate vestra soletis, accipite animo.

Caput II.

§. 7.

Ὁρατός, ὀπτός, ὀπτέος.

Omnium igitur primum, ut iam ad rem ipsam revertatur oratio, de ὁρατός, ὀπτός, ὀπτέος quid sentiam, vobiscum communicabo.

Ὁρατέος, quanquam Buttmannus *) recepit, omnino non exstare videtur. Apud eos saltem, quos adii, auctores ne unum quidem exemplum a nobis repertum. Ὁρατός, quod a Platone, oratoribus Atticis, Xenophonte, Polybio, Plutarcho solis non repudiatum vidimus, simplex a Platone, Demade, Demosthene, Xenophonte, Plutarcho, compositorum ἀόρατος a Platone, Isocrate, Xenophonte, Polybio, Plutarcho, δυςόρατος et προορατός ab uno Xenophonte singulis locis usurpata invenimus, ad quae, si lexicis fidem habemus ἀδιόρατος ἀπροόρατος, εὐπροόρατος, προςόρατος etiam adiicienda videntur. Ὁρατός legimus apud Platonem Epinom. VI, 982; VII, 984; VIII, 984; XIII, 991; de rep. VI, 19. 509; apud Demadem frgm. ὑπὲρ τῆς δωδεκαετίας § 17; apud Demosthenem. Amat. § 33; apud Xenoph. Mem. I, 4, 5; III, 10, 3; Cyr. I, 6, 2; apud Plutarchum Camill. 20; ἀόρατος apud Plat. Epinom. V, 981; de rep. VI, 18, 507; VII, 10, 529: Phaed. § 79; Sophist. § 65; Theaet. § 33; apud Isocratem c. Demon. § 29; apud Xenoph. Mem. IV, 3, 13; IV, 3, 14; apud Polybium II, 21, 2; III, 108, 6; apud Plutarch. Rom. 29; Num. 8; ἀνόρατος apud Plat. Tim. 51, a; δυςόρατος apud Xenoph. de off. mag. equit. IV, 18; προορατός apud eundem Cyr. I, 6, 23. —

Ὀπτός simplex, ne cum altero, quod verbo ἕπω originem debet, confundatur, scriptores respuunt, sed in verbis cum praepositionibus compositis ita agnoscunt, ut unum προοράω apud nostros auctores iuxta consuetiora πρόοπτος sive προὔπτος uno illo loco Xenophonteo etiam προορατός habeat. Quam formam Papius in lexico suo etiam posterioribus scriptoribus vindicat; sed, quum testes non adhibuerit, quo iure id faciat, intelligere non possum. Ἄποπτος exstat apud Sophoclem Ai. 15; El. 1484; Philoct. 466; Antig. 753; apud Plutarchum Camill. 42; apud Arrianum Anab. II, 10, 3; II, 24, 3; κάτοπτος apud Aeschylum Agam. 297; apud Thucydidem VIII, 104; apud Lysiam Areopag. 28; περίοπτος apud Plutarchum Jul. Caes. 16; ἀπερίοπτος apud Thucydidem I, 41; πρόοπτος apud Herodotum IX, 17; προὔπτος apud Aeschylum Sept. 850; apud Sophoclem Oed. Col. 1434; apud Euripidem Hippol. 1356; apud Thucydidem V, 99; V, 111; apud Isocratem Hel. encom. 27; apud Demosthenem Olynth. III, 13; ἀπρόοπτος apud Aeschylum Prom. 1082; δυςπρόςοπτος apud Sophoclem El. 453; σύνοπτος apud Aeschinem Epist. I, 4; apud Polybium II, 28, 9; δυςσύνοπτος apud Polybium III, 84, 2; εὐσύνοπτος apud Isocratem Antidos. 172; apud Aeschinem c. Ctesiph. 118; ὑπέροπτος apud Sophoclem Antig. 874; ὕποπτος apud Aeschylum Agam. 1627; apud Euripidem Hec. 1109; Phoen. 1210; Androm. 1065; Iph. Taur. 1299; Rhes. 79; Herc.

*) Grammatica Graeca Berolini MDCCCXLV.

1092; El. 343; 649; apud Thucydidem I, 75; I, 90; I, 102; I, 131; V, 26; VI, 53; VIII, 38; VIII, 63; VIII, 66; VIII, 68; apud Antiph. II, β, 4, p. 116; apud Demosth. Symmor. 37; apud Xenophont. Cyr. II, 4, 16; apud Plutarch. Rom. 8; Fab. Max. 20; Jul. Caes. 29; Phoc. 14; Cleom. 16; 21; 36; *ὑπόπτως* apud Thucydidem VI, 53; VIII, 38; VIII, 63; VIII, 66; VIII, 68; apud Isocratem de pace 112; apud Demosth. Philipp. II; apud Xenophontem Hell. II, 3, 52; apud Polybium III, 11, 3; III, 71, 2; *ἀνύποπτος* apud Thucydidem III, 43; apud Demosthenem de Rhod. libert. 4; apud Xenophontem Cyr. V; apud Polybium III, 105, 1; apud Plutarchum Cat. Min. 23; apud Arrianum Anab. II, 4, 11; *ἀνυπόπτως* apud Thucydidem I, 146; *καχύποπτος* apud Platonem de rep. III, 16, 409; Phaedr. 38. —

Simplicis quidem verbi gerundium etiam huius etymi omnino abest; in compositione vero Graeci saepius ad *ὄπτω* confugiunt, ut ostendunt *παροπτέος* apud Demosthenem c. Aristogit. II, 16; *περιοπτέος* apud Herodotum V, 39; apud Thucydidem VIII, 48; apud Xenoph. de rep. Laced. IX, 5; apud Plutarchum Sol. 20; Cat. Min. 41; *προοπτέος* apud Herodotum I, 120. —

§. 8.

Λεκτός, λεκτέος et *ῥητός, ῥητέος.*

De simplicibus *λεκτός* et *ῥητός* Homerus atque Hesiodus alterum tantum idque singulis locis Il. XXI, 445 et Oper. 4. usurpaverunt. Tragicorum apud Sophoclem et Euripidem *ῥητός* tantopere praeponderat, ut *λεκτός* singulis, *ῥητός* apud illum quatuor, apud hunc tribus locis appareat; Aeschylus contra, *ῥητός* adiectivo penitus repudiato, etiam alteri nisi in compositis *δύςλεκτος* et *ἀμφίλεκτος* nullum locum concessit. *Λεκτός* igitur obviam fit apud Sophoclem Philoct. 631 et apud Euripidem Hippol. 870; *ῥητός* apud Sophoclem Philoct. 746; Oed. R. 954 et 1285; Oed. Col. 997 et apud Euripidem Hippol. 459 et 839; Iph. Taur. 907. — Aristophanes *λεκτός* semel Avv. 421, *ῥητός* nunquam recepit. Reliqui scriptores *λεκτός* sic aspernantur, ut ne uno quidem eorum loco emergere audeat, *ῥητός* autem liberius vagetur apud Thucydidem I, 13; I, 122; II, 7; II, 70; IV, 69; IV, 76; VI, 29; VI, 30; VI, 64; VIII, 93; apud Platonem de legg. VII, 19, 817; VIII, 13, 850; de rep. VIII, 3, 546; Theaet. 140; 148; apud Andocidem de pace Laced. 22; apud Isocratem c. Demon. 25; Trapez. 19; c. Callim. 14; apud Isaeum de Philoct. hered. 25; apud Aeschinem c. Ctesiph. 124; apud Demosthenem Olynth. I, 4; de cor. 122; c. Mid. 79; c. Androt. 61; c. Pantaenet. 5; apud Herodotum V, 57; apud Plutarchum Jul. Caes. 30. — Apud Polybium tantummodo adverbium *ῥητῶς* in conspectum nostrum venit III, 21, 4 et III, 23, 5. —

Quod ad composita attinet, *δύςλεκτος* et *ἀμφίλεκτος*, quorum iam supra mentio iniecta est, apud Tragicos leguntur et quidem illud apud Aeschylum Pers. 708, hoc apud Aeschylum Agam. 854 et 1575 et apud Euripidem Phoen. 500. Quibus locis addatur etiam Aeschyl. Sept. 811, ubi in adverbium *ἀμφιλέκτως* incidimus. — *Ἀντιλέγω* ita fluctuat, ut apud Thucydidem IV, 92 *ἀντί-*

λεκτος, apud Plutarchum, quem posterior aetas tulit, Themist. 24. *ἀναντίῤῥητος* singulis locis invenerim. In omnibus reliquis compositis, si solos a nobis cognitos scriptores respicimus, unum *ῥητός* principatum obtinet. *Ἄῤῥητος* praebet Homerus Od. XIV, 466; Hesiodus Oper. 4; Sophocles Ai. 284; 782; El. 198; 1007; Antig. 554; Oed. R. 299; Oed. Col. 997; Euripides Hec. 196; 700; Or. 14; Hippol. 597; Iph. Taur. 39; 1165; Bacch. 445; Hel. 1307; Herc. fur. 171; 172; Aristophanes Nubb. 302; Theognis Paraenes. 797; Apollonius Rhodius Arg. I, 917; II, 389; Herodotus V, 83; Plato de legg. VI, 2, 754; VII, I, 788; de rep. VIII, 3, 546; Hipp. Mai. 52; Symp. XIII, 189, 13; Aeschines c. Ctesiph. 217; Demosthenes de corona 122; c. Mid. 79; c. Androt. 61; c. Neaer. 73; 81; 110; Xenophon Cyr. I, 6, 14; Plutarchus Num. 22; Jul. Caes. 9; 32; Cat. Min. 52. frgm. Euripidis; *ἀπόῤῥητος* Sophocles Antig. 44; Euripides Phoen. 1668; Hippol. 292; Iphig. Taur. 1296; Rhes. 940; Aristophanes Conc. 12; Plato de legg. IX, 2, 854; XI, 11, 932; XII, 10, 961; XII, 14, 968; de rep. II, 17, 378; V, 9, 460; Phaed. 16; Theaet. 25; Andocides de myst. 45; de redit. 3; 19; 20; 21; Lysias c. Theomnest. I, 2; II, 3; II, 69; c. Agorat. 21; c. Phil. 30; Isocrates c. Demon. 22; 25; c. Loch. 3; Dinarchus c. Demosth. 9; Lycurgus c. Leocrat. 88; Aeschines c. Ctesiph. 96; Demosthenes Olynth. I, 4; II, 6; c. Mid. 149; c. Aristog. I, 23; II, 18; c. Theocr. 40; c. Neaer. 73; 79; 80; Epist. II, p. 1467; Xenophon. Anab. I, 6, 5; VII. 6, 43; Polybius II, 21, 4; II, 84, 4; III, 20, 3; Plutarchus Rom. 7; 14; Num. 8; 10; 14; 22; Popl. 4; Themist. 29; Camill. 4; Pericl. 10; 23; Fab. Max. 4; Jul. Caes. 14; Cleom. 33; Herodotus IX, 45; IX, 94; *ἐπίῤῥητος* Xenophon Oec. 4, 2; *παράῤῥητος* Homerus Il. IX, 526; XIII, 426; *πρόῤῥητος* Sophocles Trach. 687; *ἀπρόῤῥητος* Plato de legg. XII, 14, 968. — Eorum quoque habita ratione, quae lexica nobis suppeditant, *ἄλεκτος, δύςρητος, ἀναμφίλεκτος, ἀναντίλεκτος, δυςαντίλεκτος, εὐαντίλεκτος, ἀναντίῤῥητος, δυςαντίλεκτος, δυςαντίῤῥητος, εὐδιάλεκτος, ἀπρόςρητος, δυςπρόςρητος, εὐπρόςρητος, θεόῤῥητος, βραχύλεκτος, μυριόλεκτος,* particulae *ἀ, δυς, ἀντί* in compositione utrumque admittunt, attamen ita, ut praestantiores formae esse videantur *ἄῤῥητος, δύςλεκτος, ἀντίλεκτος; βραχύς, μύριος, ἀμφί, διά* solum *λεκτός;* quae relicta sunt, *ῥητός.* — *Ἀνάλεκτος, ἀπόλεκτος, ἐκλεκτός, ἐπίλεκτος, σύλλεκτος, συνέκλεκτος, νεόλεκτος, νεοσύλλεκτος, παλισύλλεκτος* a me neglecta esse qui miretur, non erit, quum propter eligendi vel colligendi notionem ea huc non pertinere per se satis pateat.

Gerundia *λεκτέος* et *ῥητέος* simplicia sic usurpata reperi, ut inter auctores, quorum in scriptis hoc vel alterum vocabulum legitur, apud Demosthenem quidem eadem fere frequentia gaudeant, *λεκτέος* de falsa legat. 93; c. Lept. 24; c. Mid. 40; c Aphob. I, 52; c. Theocr. 60; *ῥητέος* c. Androt. 62; Epitaph. 24; Prooem. XLVI; apud Isocratem autem solum exstet *λεκτέος* c. Nicocl. 49; Philipp. 85; Panath. 152; Antidos. 59; 149; 271; in Platonis dialogis hoc idem *λεκτέος* satis magno praestet exemplorum numero. *Λεκτέος* habet Plato de legg. III, 5, 683; VI, 13, 767; VII, 6, 796; IX, 9, 869; X, 5, 891; XI, 12, 934; Epinom. 8; 11, 989; de rep. II, 5, 361; II, 17, 378; II, 18, 379; II, 19, 380; III, 1, 386; III, 2, 387; III, 5, 392; III, 6, 392; III, 7, 394; III, 9, 398; VI, 15, 502;

Cratyl. 10; Parmenid. 65; Sophist. 6; 32; 34; 71; 88; 91; 93; 95; 96; 114; Phaedr. 46; 53; 74; 91; 101; 112; 126; Theaet. 45; 56; 85; Sympos. XIX, 196, B; ῥητέος de legg. IV, 9, 719; IV, 12, 722; V, 3, 730; VI, 21, 779; VII, 796; VII, 14. 810; IX, 1, 853; X, 1, 885; X, 10, 901; Epinom. 5, 981; de rep. VIII, 6, 550; X, 1, 595; Cratyl. 59; Sophist. 28; 68; Phaedr. 27; 36; Theaet. 45; 76; Apolog. VII, 2. B. — Xenophon et Polybius et Plutarchus ita sibi constiterunt, ut apud Polybium modo ῥητέος I, 5, 2; I, 5, 3; I, 64, 2; II, 14, 3; II, 24, 2; III, 36, 1; III, 36, 2; III, 58, 3, et apud Xenophontem et Plutarchum modo λεκτέος reperiatur, Xen. Anab. V, 6, 6; de rep. Laced. 2, 12; Plutarch. Rom. 28; Popl. 17; Cat. Min. 2. Apud ceteros auctores, quorum libros in manus sumsimus, neutrum offenditur. De compositis verbum διαλέγομαι, ut Plato Lys. 19 et Isocrates Philipp. 95; Panath. 134; Epist. ad Dionys. I, 6. testificantur, διαλεκτέος, καταλέγω apud Platonem de legg. XII, 14, 968 καταλεκτέος, ἀναλέγω, ut ex loco Eurip. Heraclid. 970 patet, ἀντιλεκτέος in lucem protulit; quorum praepositio ῥ literam continet, ῥητέος anteponunt. Προῤῥητέος defendit Plato de legg. IX, 1, 854; IX, 13, 874 et προςρητέος idem de legg. III, 9, 689; VII, 16, 812; de rep. IV, 6, 428; IV, 9, 431; Parmenid. 33; Sophist. 17; 20; Theaet. 99. —

§. 9.

Ἑφθός, ὀπτός, ἑψητός.

In usu variorum adiectivorum, quae ad ἕψω referuntur, mirum quantum sibi Graecitas constitit. Significationes enim, quae ipsi verbo subiectae sunt, ita inter se partita videntur, ut ἑφθός vel de rebus liquidis aut in liquore certe coquendis, vel de metallis, quae ignis vi liquefiant, Eurip. Cycl. 357 ὡς ἕτοιμά σοι ἑφθὰ καὶ ὀπτὰ καὶ ἀνθρακιᾶς ἄπο χναύειν; Aristoph. Equit. 1178. ἑφθὸν ἐκ ζωμοῦ κρέας; Pax 717 ὅσας δὴ κατέδει χόλικας ἑφθὰς καὶ κρέα; Plat. de rep. III, 13, 404 οὔτε ἑφθοῖς κρέασιν, ἀλλὰ μόνον ὀπτοῖς; Xenoph. Anab. V, 4, 32 καρύοις ἑφθοῖς. Cyr. VI, 2, 28 καὶ τά ἑφθὰ δὲ πάντα μεθ᾽ ὕδατος τοῦ πλείστου ἐσκεύασται; ἄπεφθος Thucyd. II, 13. χρυσίου ἀπέφθου. Aeschin. Epist. XI, 7. χρυσίου ἀπέφθου. Herodot. I, 50. λέοντος εἰκόνα χρυσοῦ ἀπέφθου et II, 44 στῆλαι δύο, ἡ μὲν χρυσοῦ ἀπέφθου; πάνεφθος Hesiod. Scut. Herc. 208. πανέφθου κασσιτέροιο; ὀπτός de iis, quae ignis ardore assentur vel torreantur, Hom. Od. XVI, 443. κρέας ὀπτόν; XXII, 21. κρέα τ᾽ ὀπτά; Sophocles Antig. 472 καὶ τὸν ἐγκρατέστατον σίδηρον ὀπτὸν ἐκ πυρὸς περισκελῆ; Eurip. Cycl. 325 μόσχον ὀπτὸν et 357 ὡς ἕτοιμά σοι ἑφθὰ καὶ ὀπτὰ καὶ ἀνθρακιᾶς ἄπο χναύειν; Aeschyl. Agam. 1065 κλαιόμενα τὰ βρέφη, σφαγάς, ὀπτάς τε σάρκας πρὸς πατρὸς βεβρωμένας; Aristoph. Equit. 1106 καὶ τοὔψον ὀπτόν; Plat de rep. III, 13, 404. οὔτε ἑφθοῖς κρέασιν, ἀλλὰ μόνον ὀπτοῖς; Xenoph. Anab. II, 4, 12. πλίνθοις ὀπταῖς; Arrian. Anab VII, 17, 1 ἐκ πλίνθου ὀπτῆς ἐν ἀσφάλτῳ ἡρμοσμένης; ἑψητός tanquam medium interpositum de utroque rerum genere dicatur Aristoph. Vesp. 679 οὐδεὶς οὐδὲ σκορόδου κεφαλὴν τοῖς ἑψητοῖςδίδωσι, ubi substantive de piscibus assatis positum est, et Xenoph. Anab II, 3, 14.

ὄξος ἐψητὸν ἀπὸ τῶν αὐτῶν. Quam ipsam naturam ambiguam etiam gerundio ἑψητέος, quod Buttmannus nullius loci auctoritate fultum affert, tribuere ausim, quia facile est ad suspicandum, hanc formam vel propter fortiorem sonum ad potestatem necessitatis significandam unam omnium esse aptissimam.

§. 10.

Βοτός, βοσκητέος.

Verbum βόσκω duabus adiectivorum formis linguam ditavit, quarum unam adiectiva in τος, alteram adiectiva in τέος desinentia sibi asseruerunt. Substantivum βοτόν exempli caussa apud Aeschyl. Ag. 1389; Soph. Ai. 144. Nubb. 1409; Plat. Menex. 237, d legitur, simplex autem ipsum adiectivum vetustatis oblivione obrutum videtur. Composita satis frequentia quum apud alios scriptores tum maxime apud poetas sunt. Εὔβοτος donavit nobis Homerus Od. XV, 406; Apoll. Rhod. Arg. III, 1086; Plutarch. Cam. 16; Arrian. Anab. II, 16, 6; αἰγίβοτος Hom. Od. IV, 606; XIII, 246; βούβοτος Hom. Od. XIII, 246; ἱππόβοτος Hom. Od. IV, 606; XV, 239; XV, 274; XXI, 347; Il. III, 75 et 258; IX, 246; XV, 30; H. III, 491; Euripid. Androm. 1205; κρεόβοτος Aeschyl. Suppl. 290; μηλόβοτος Isocrat. Plat. 31; Lycurg. c. Leocrat. 145; Aeschin. Epist. XI, 13; Plutarch. Camill. 31; Pericl. 16; πάμβοτος Aeschyl. Suppl. 561; πολύβοτος Aeschyl. Sept. 776; βοσκητέος Aristophanis auctoritate Avv. 1359. satis munitum est.

§. 11.

Ἐγρετός, ἐγρηγορτός, ἐγερτός, ἐγερτέος.

Duabus formis Homericis νήγρετος*) Od. XIII, 74 et 80; H. IV, 177 et ἐγρηγορτί Il. X, 180 exceptis, Graeci, quos consului, e verbo ἐγείρω semper ἐγερτός, ἐγερτέος cuderunt. Ἐγερτός, ἀνέγερτος, δυςέγερτος, δυςδιέγερτος a Papio accepi, adverbium autem inde ductum ἐγερτί singulis locis ipse apud Sophoclem Antig. 411 et apud Euripidem Rhes. 520 vidi; ἐγερτέος Euripides Rhes. 686. satis tuetur.

§. 12.

Ἑλκτός, Ἑλκτέος, ἑλκυστέος.

Quamquam verba ἕλκω et ἑλκύω adiectivorum, de quibus nos agimus, tanta inopia laborant, ut paene uno verbo res possit absolvi, tamen scrutanti mihi contigit, ut caussam non iniudicatam relinquerem, sed neque adiectiva in τος exeuntia, etiamsi Papius ἄνελκτος, ἀνελκτός et εὔελκτος offert,

---

*) Cui e lexico arcessitum accedat εὐέγρετος.

apud melioris notae scriptores ulla esse viderentur et *ἑλκτέος* longe praestare mihi exploratissimum esset. *Ἑλκτέος* enim apud Platonem de rep. II, 8, 365, *ἐξελκτέος* apud Euripidem El. 487, *ὑφελκτέος* apud Aristophanem Equit. 920; *συνελκυστέος* sui generis unum et solitarium apud Xenophontem Ages. 9, 4. domicilium habet.

§. 13.

Φερτός, φορτός, φορητός, οἰστός, οἰστέος.

Quae verbalia verbum *φέρω* ex se ipso genuit, *φερτός, συμφερτός* et *ἄφερτος* poetarum fines non excesserunt, *φορτός* vero, quod, postquam ad substantivorum exercitum transfugit, plus sibi arrogare videtur, inde ab Hesiodi aetate, apud quem id primum conspexi, apud cuiusvis generis scriptores sese iactare credibile est. Vel compositum *πολύφορτος* Herodotus testimonio suo confirmat. *Φερτὸς* habet Euripides Hec. 154; *συμφερτός* Homerus Il. XIII, 237; *ἄφερτος* Aeschylus Choeph. 432 et 465; Eum. 141 et 473; Agam. 376; 386; 546; 1071; 1590; *φόρτος* Hesiodus Oper. 603; *πολύφορτος* Herodotus in vita Hom. 1. — *Φορητός*, quod ut satis arcto affinitatis vinculo coniunctum hoc loco sese deiici vix patiatur, et *οἰστός*, cuius verbum verbo *φέρω* ad tempora etiam supplenda succurrit, si recte vidi, ita inter se differunt, ut cum praepositionibus *οἰστός*, cum aliis particulis *φορητός* facilius in unum vocabulum coalescat, cum nominibus vero, ni fallor, unum *φορητός* societatem ineat. *Φορητός* testes habet Aeschylum Prom. 987; Euripidem Hippol. 443; Demosthenem c. Mid. 198; *ἀφόρητος* Thucydidem IV, 126; Aeschinem de falsa legatione 21; Demosthenem c. Mid. 46; Xenophontem Hell. V, 4, 58; VI, 4, 14; Plutarchum Jul. Caes. 19; Herodotum IV, 28; *δυςφόρητος* Euripidem Cycl. 343; *εὐφόρητος* Aeschylum Choeph. 339; *θεοφόρητος* Aeschylum Agam. 1109; Plutarchum Themist. 26; *περιφορητός* Herodotum IV, 190 et Plutarchum Pericl. 27, ubi nomen proprium *Περιφόρητος* exstat; *οἰστός*, praeterquam quod substantive apud omnis generis scriptores obviam fit, merum adiectivum Thucydidem I, 122 et VII, 75; *ἀνοιστός* vel potius *ἀνωϊστός* Herodotum VI, 66; *ἀπρόςοιστος* Aeschylum Pers. 94; *ἀπροςοίστως* Isocratem Evagor. 49; *δυςπρόςοιστος* Sophoclem Oed. Col. 1270; *εὐπρόςοιστος* Euripidem Med. 282; *δύςοιστος* Sophoclem Oed. Col. 1676; Philoct. 507; Aeschylum Choeph. 740; Eum. 780 et 810; Prom. 696. Lexicon si evolveris et praeterea inveneris *ἀνέξοιστος, ὑποιστός, ἀνύποιστος, δυςέξοιστος, δυςύποιστος, εὐπάροιστος, εὐύποιστος, προοιστός*, totius Graecitatis sola *δύςοιστος* et *περιφορητός* non ad ceterorum similitudinem facta esse persuasum habebis. — Gerundium sciendum est unum *οἰστέος* formare licuisse. *Ἐνεκτέος*, quod Passowium, virum alias egregie doctum, in somnio vidisse crediderim, Papius eodem iure e suo lexico eiecisse videtur, quo etiam *ἐνεκτός* nullum locum occupavit. *Οἰστέος* est apud Sophoclem Antig. 310; Oed. Col. 1354; apud Euripidem Orest. 757; Alcest. 755; apud Isocratem Plataic. 10; apud Platonem Sophist. 48; *ἀνοιστέος* apud Sophoclem Antig. 272; apud Euripidem Herc. fur. 112; apud Polybium II, 42, 4; apud Plutarchum Phoc. 5; *διοιστέος* apud

Euripidem Phoen. 265; *εἰσοιστέος* apud Demosthenem c. Timocr. 25; *ἐξοιστέος* apud Aristophanem Lys. 921; apud Euripidem Phoen. 712; apud Platonem Parmenid. 6; *προσοιστέος* apud Euripidem Hec. 391; apud Platonem de legg. VII, 14, 809; de rep. III, 12, 403; Phaedr. 126; Theaet. 139; *ἐπανοιστέος* apud Polybium I, 37, 3.

§. 14.
Δραμητέος, θρεκτέος.

Siquis quaerat, utrum formatio ab ipso *τρέχω*, an ab altera stirpe, quae in *δραμοῦμαι, ἔδραμον, δεδράμηκα* radices egit atque in temporibus quidem formandis longe praecedere dicitur, praeferatur, quum *περιδραμητέον* in lexico nullum auctorem adscriptum habeat, *περιθρεκτέον* autem ipse quamvis semel apud Platonem Theaet. 47 legerim, qui huius alterius principatum addubitet futurum arbitror neminem. — Verbalia in *τος* quae exeunt, nusquam reperiuntur.

§. 15.
Κεραστός, κρατός, κρητός, κηρατός.

Ἀκέραστος, δυςκέραστος, εὐκέραστος, συγκεραστός, quae a Papio traduntur, scriptorum, quos meis oculis collustravi, inveni apud neminem. Adiectiva quae hi nobis obtulerunt, *ἄκρατος, σύγκρατος, μελίκρατος, ἄκρητος, μελίκρητος χαλίκρητος* ita inter se distinguuntur, ut *ἄκρατος* et *μελίκρατος* et *σύγκρατος* adiectivorum usus in Atticorum et poetarum et prosae orationis auctorum consuetudine positus sit, *ἄκρητος, μελίκρητος, χαλίκρητος* dialecto ionicae sint tribuenda, *ἀκήρατος* apud Epicos, Tragicos, Platonem, Xenophontem, Plutarchum, Herodotum promiscue legantur. *Ἄκρατος* animadverti apud Sophoclem El. 779; apud Aeschylum Choeph. 573; Prom. 682; apud Euripidem Cycl. 149; 596; apud Alexidem (poet. gnom. ed. Brunck) I, 5; apud Clearchum (poet. gnom. ed. Brunck) 3; apud Aristophanem Conc. 1123; Vesp. 525; Equit. 85; 87; 105; 355; Acharn. 75 et 1229; apud Thucydidem II, 49; apud Platonem de legg. I, 9; IV, 12, 722; IV, 16, 773; VII, 3, 793; de rep II, 20, 382; III, 9, 397; III, 17, 410; VI, 6, 491; VIII, 2, 545; VIII, 14, 562; apud Xenophontem Anab. IV, 5, 27; V, 4, 29; Cyr. VIII, 20; apud Plutarchum Lycurg. 7; 16; 28; Comp. Lyc. c. Num., ubi tria exempla nobis prodita sunt; Pericl. 4 et 7; Phoc. 6; Cat. Min. 46; *ἀκράτως* apud Platon. de legg. V, 3, 731 et Plutarch. Lycurg. 25 et Comp. Lyc. c. Num.; *μελίκρατος* apud Eurip. Or. 114; *σύγκρατος* apud Eurip. Andr. 487; *ἄκρητος* apud Homer. Od. II, 341; IX, 297; XXIV, 73; Il. II, 341; IV, 159; apud Herod. I, 707; *μελίκρητος* apud Homer. Od. X, 519; XI, 27; *χαλίκρητος* apud Apollonium Rhodium Arg. I, 473; *ἀκήρατος* apud Homerum Od. XVII, 532; Il. XV, 498; XXIV, 303; apud Apollonium Rhodium Arg. I, 852; 974; II, 502; IV, 157 et 1025; apud Sophoclem Oed. Col. 464 et 686; apud Aeschylum Agam. 644; Pers. 620; apud Euripidem Orest. 564; Hippol. 72; 75; 946; 1168; Iph. Aul. 1068; Rhes. 347; Troad. 677; Ion. 1265 et 1435;

apud Herodotum II, 86; IV, 152; VII, 10; 10; apud Platonem de leg. V, 6, 735; VIII, 8, 840; de rep. III, 20, 414; VI, 15, 503; Cratyl. 29; Phaedr. 58; apud Xenophontem Cyr. VIII, 6, 22; Plutarchum Num. 8; 9. Omnium eorum exemplorum, quae $\overline{\alpha}$ privativum in fronte gerunt, inita subductaque ratione auctorumque singulorum commendationibus diligenter observatis, videmus, apud Aristophanem et Thucydidem unum *ἄκρατος* in usu esse, quod idem propter exemplorum non satis integram ac plenam copiam de Plutarcho quoque contendere vix ausim; apud Aeschylum *ἄκρατος* et et *ἀκήρατος* aequo Marte de principatu pugnare, apud Sophoclem vero, apud quem omnino tres loci unum alterumve vocabulum ostendant, *ἀκήρατος* uno exemplo alterum superare, et apud Euripidem *ἀκήρατος* quinquiplo etiam maiorem numerum exemplorum habere, quam alteram formam; apud Platonem rursus *ἄκρατος* altero fere tanto et apud Xenophontem triplo maiorem; adiectivorum denique *ἄκρητος* et *ἀκήρατος*, quae Homeri in Odyssea singulos locos obtinent, in Iliade illud hoc altero tanto esse superius.

§. 16.

Ἐλπτός et *ἐλπιστός*.

Quamvis *ἔλπομαι* et *ἐλπίζω* verba ipsa per se sint plena, quae ad tempora sua supplenda alius verbi auxilium non desiderent, tamen adiectiva *ἐλπτός* et *ἐλπιστός* tam arcto et significationis et cognationis vinculo inter se connexa videntur, ut etiam in hac disputationis parte disiungi vix possint. Unum eorum, quod animadverti, discrimen magis extrinsecus petitum eo continetur, quod *ἐλπτός* nisi cum $\overline{\alpha}$ privativo compositum haud facile inveniatur, neque ullis testibus nisi poetis iisque generis cuiusvis utatur, *ἐλπιστός* autem et compositionis et usus maiore quadam libertate utens praeter Tragicorum fabulas in ceterorum quoque pedestri oratione utentium auctorum operibus hisque etiam secundum ipsius verbi naturam longe frequentius versetur. *Ἄελπτος* adiectivi exempla assurgunt apud Homerum H. I, 91; V, 219; apud Solonem (poet. gnom. ed. Brunck) XXIX, 1; apud Pythagoram Dict. aur. 53; apud Linum (poet. gnom. ed. Brunck) II, 1; apud Aristophanem Lys. 256; apud Aeschylum Suppl. 55; 359; 908; Agam. 884; Pers. 269; 1002; 1072; apud Sophoclem Ai. 647; 715; Trach. 204; Oed. Col. 1114; apud Euripidem Or. 867; 1166; Phoen. 311; Suppl. 786; Iph. Aul. 1561; Iph. Taur. 625; Heraclid. 925; Hel. 783; Jon. 1440; *ἀέλπτως* adverbii apud Aeschylum Pers. 266; Suppl. 988; apud Sophoclem El. 1259; apud Euripidem Med. 1406; Alcest. 1170; Androm. 1261; Bacch. 1342; Hel. 1689; Hippol. 1452; Alcest. 1144; El. 575; *ἀνάελπτος* apud Hesiodum Theog. 660; *ἐλπιστός* apud Platonem de legg. IX, 853; *ἀνέλπιστος* apud Aeschylum Suppl. 331; apud Sophoclem Trach. 676; apud Euripidem Alcest. 1133; Iph. Taur. 1461; Hel. 412; 1143; Jon. 1394; El. 566; apud Thucydidem II, 51; III, 30; III, 46; III, 83; V, 102; VI, 17; VI, 33; VI, 69; VII, 4; VIII, 1; VIII, 106; apud Platonem Apol. XXV, 36, A; apud Andocidem c. Alcib. 24; apud Isocratem Philipp. 41; Archid. 103; apud Aeschinem c. Ctesiph.

132; apud Demosthenem c. Zenoth. 7; apud Polybium II, 4, 1; apud Xenophontem de ven. VII, 9; apud Arrianum Anab. VI, 13, 2; *ἀνελπίστως* apud Isocratem Plat. 41; apud Demosthenem de coron. 182; apud Polybium I, 6, 3; I, 21, 11; I, 23, 7; I, 84, 8; II, 39, 8; II, 60, 4; II, 61, 10; *δυςέλπιστος* apud Plutarchum Fab. Max. 17; *δυςελπίστως* apud Polybium I, 87, 1; II, 9, 8. Alterum, quod intercedit, discrimen interius in eo positum videtur, quod *ἐλπτός* tantum passivam, *ἐλπιστός* autem non modo passivam, sed activam etiam induit potestatem, ut cognovimus a Thucydide III, 30 *ᾗ ἐκεῖνοί τε ἀνέλπιστοι ἐπιγενέσθαι ἄν τινα σφίσι πολέμιον;* VI, 17 *καὶ νῦν οὔτε ἀνέλπιστοί πω μᾶλλον Πελοποννήσιοι ἐς ἡμᾶς ἐγένοντο, εἴτε καὶ πάνυ ἔῤῥωνται;* VIII, 1 *ἀνέλπιστοι ἦσαν ἐν τῷ παρόντι σωθήσεσθαι;* a Xenophonte ven. VII, 9. *εὐθὺς γὰρ δὴ ἀνέλπιστοι οὖσαι τοῦ ἑλεῖν οὐ πείσονται τοῦτο;* a Plutarcho Fab. Max. 17 *εὐλαβὴς φαινόμενος καὶ δυςέλπιστος.* — De singulorum scriptorum usu addendum videtur, *ἀνέλπιστος* apud Tragicos quidem, sed apud hos ipsos tam raro inveniri, ut *ἄελπτος* etiam regnare haud immerito dicatur. — Gerundium nec *ἐλπτέος*, nec *ἐλπιστέος* reperire contigit. —

§. 17.

Πλαστός, πλατός, πλητός, πλετός.

Adiectivorum, quae a *πελάζω* originem ducunt, *πλαστός* et *πρόςπλαστος* apud Aeschylum Eum. 53; Prom. 722; *ἄπλαστος* apud Hesiod. Theog. 151; *ἄπλατος* apud eundem Hesiod. Oper. 132; apud Sophoclem Ai. 254;*) Trach. 1095; apud Euripidem Rhes. 305; *ἄπλητος* apud Homerum H. V, 83; 344; apud Simonidem (poet. gnom. ed. Brunck) II, 34; Apoll. Rhod. Arg. IV, 1455; *ἄπλετος* apud Sophoclem Trach. 984; apud Platonem de legg. IV, 5, 683; Sophist. 66; apud Xenophontem Anab. IV, 4, 11; apud Herodotum I, 50; III, 140; IV, 53; VIII, 12; VIII, 99; IX, 24; apud Plutarchum Jul. Caes. 1 conspexi, unde natura consequitur, *ἄπλετος* omnium frequentissimum nec solum poetarum, verum etiam philosophorum atque historicorum esse in usu, *ἄπλατος* Tragicis, *ἄπλητος* Epicis, *πρόςπλαστος*, quantum scio, uni Aeschylo placere. Gerundium quin omnino absit, non dubium videtur.

§. 18.

Πηκτός et *πακτός.*

Verbum *πήγνυμι* ex se creasse *πακτός* duo loci Herodotei sunt documento; V, 16. *θύρης καταπακτῆς* et ibidem *τὴν θύρην τὴν καταπακτήν.* — Altera forma *πηκτός* longe maiore exemplorum multitudine stipata in medium procedit. Apud eundem Herodotum, quamvis uno loco, munitur

*) cf. Lobeck ad hunc locum.

σύμπηκτος IV, 190. Praeterea *πηκτός* Hom. Od. XIII, 32; Il. X, 353; XIII, 703; H. V, 196; Hesiod. Oper. 403; Eurip. Phoen. 489; Cycl. 190; Bacch. 1160; *εὔπηκτος* Hom. Od. XXIII, 41; Il. II, 661; IX, 144; IX, 663; XXIV, 675; H. V, 143; V, 164; *νεόπηκτος* Hom. Batrach. 38; *κρυσταλλόπηκτος* Eurip. Rhes. 437. —

Gerundium huius quoque verbi frustra circumspexi. —

§. 19.

Πλευστός, πλευστέος, πλωτός.

Adiectivo *πλευστός* Atticorum loci, *πλωτός* Jonum et Epicorum, qui iam inter ipsa verba *πλέω* et *πλώω* fluctuant, assignati videntur; in gerundio unam fortiorem et quasi robustiorem formam *πλευστέος* praelatam crediderim. *Ἄπλευστος* habet Xenophon Cyr. VI, 1, 16; *πλευστέος* Aristophanes Lys. 411; *πλωτός* Hom. Od. X, 3; Apoll. Rhod. Arg. IV, 232; Herodot. II, 156, ubi bis obviam fit; *προςπλωτός* idem IV, 47. — De *πλεῖστος* cf. Lodeck. Paralip. p. 350.

§. 20.

Ῥυτός, ῥειτός.

Εὔρρειτος apud Homerum Od. XIV, 257 et Apollonium Rhod. Arg. III, 1086 solos et eos quidem singulis locis legimus; omnes, qui nostrorum supersunt, auctores unam formam *ῥυτός* tuendam suscepere. Lexica etiam dant *δύςρευστος*. *Ῥυτός* exstat apud Aeschylum Eum. 446; apud Sophoclem Ai. 880; apud Euripidem Hippol. 120; *ἀείρυτος* apud Sophoclem Oed. Col. 469; *εὔρυτος* apud Euripid. Iph. Aul. 410; apud Apollon. Rhod. Arg. 87 *ὀπηνέος Εὐρύτου υἷες*; *ἁγνόρυτος* apud Aeschylum Prom. 434; *αἱματόῤῥυτος* apud Euripidem Iph. Aul. 1491; *ἁλίῤῥυτος* apud Aeschylum Suppl. 870; *ἀνθεμόῤῥυτος* apud Euripidem Iph. Taur. 620; *λαιμόρυτος* apud Euripidem Hel. 355; *νεόῤῥυτος* apud Aeschylum Agam. 1322; *πολύῤῥυτος* apud Aeschylum Suppl. 845; apud Sophoclem El. 1415; *φονόῤῥυτος* apud Aeschylum Sept. 940; *χρυσόρυτος* apud Aeschylum Prom. 811; apud Sophoclem Ant. 941; *ἀμφίρυτος* apud Homerum Od. I, 50; I, 198; XI, 325; XII, 283; H. I, 27; II, 73; II, 113; V, 490; apud Hesiodum Theog. 983; apud Herodotum IV, 163; *ἀπόῤῥυτος* apud Hesiodum Oper. 556; apud Xenophontem de re equestri IV, 3; *ἐπίῤῥυτος* apud Aeschylum Eum. 895; apud Platonem de rep. VI, 19, 508; apud Xenophontem Anab. I, 2, 22; *κατάῤῥυτος* apud Euripidem Androm. 215; Troad. 1059; apud Arrianum Anab. VI, 29, 4; apud Herodotum II, 15; apud Plutarchum Camill. 16; *περίῤῥυτος* apud Homerum Od. XIX, 173; apud Hesiodum Theog. 193 et 290; apud Aeschylum Eum. 77; apud Sophoclem Philoct. 1; apud Euripidem Phoen. 209; apud Herodotum IV, 42; IV, 45; apud Thucydidem IV, 64; apud Xenophontem de vect. I, 7. —

Gerundium nondum in conspectu nostro fuit nec propter notionem, quae ipsi verbo subest, forsitan esse potuerit.

§. 21.


Πνευστός et *πινυτός*.

Πνέω fingit *πνευστός*, ut apud Homerum *ἄπνευστος* Od. V, 456; apud Hesiodum *ἀνάπνευστος* Theog. 797; apud Pseudo — Phocylidem (poet. gnom. ed. Brunck) 121 demonstrant. Altera ratio, quam in *πινυτός*, quod in ipsorum adiectivorum significatum transiit, habemus, longe maiore exemplorum multitudine est circumfusa, apud Homerum Od. I, 229; IV, 211; XI, 445; XX, 71; XX, 131; XX, 228; XXIII, 361; apud Theognidem Paraen. 493; apud Solonem (poet. gnom. ed. Brunck) XV, 39; apud Naumachium (poet. gnom. ed. Brunck) 13; 26; 33; 90; apud Metrodorum (poet. gnom. ed. Brunck) 2; apud Apollonium Rhodium Arg. IV, 65. — Gerundium quominus habeam, magnam ipsius verbi potestas attulit difficultatem.

§. 22.

Ἁρπαστός et *ἁρπακτός*.

Verbum *ἁρπάζω* apud Hesiodum quidem Oper. 629 *ἁρπακτός* nobis donavit, Attici autem scriptores, ne in suspicionem inconstantiae veniant, unum *ἁρπαστός* commendare audent, cuius compositum *ἀναρπαστός* usurpavit Euripides Hec. 203; Plato Phaedr. 1; Xenophon Mem. IV, 2, 33. Gerundium unde depromam, adhuc non habeo.



Jahresbericht
von Michael 1846 bis Michael 1847.

A. Allgemeine Lehrverfassung.

(W. = Winterhalbjahr. S. = Sommerhalbjahr.)

I. Prima.

Ordinarius: Herr Prorektor Dr. Gützlaff.

Deutsch. 3 St. Literaturgeschichte von Ulfilas bis Luther, nach Koberstein, mit Anschluss der Lectüre (namentlich ward ein Theil des Nibelungenliedes in der Ursprache gelesen); grössere Ausarbeitungen, kleinere Aufsätze, Extemporalien und metrische Uebungen; Vorträge eigner Reden; Leitung der Privatlectüre. In ausserordentlichen Stunden während des Winterhalbjahrs Lesung klassischer Dramen. Der Direktor. — Latein. 2 St. Horat. Carm. lib. III u. IV, Carm. saec., Epod, Sat. lib. II u. Epist. I. Mehrere Oden memorirt. Hr. Oberl. Gross. 3 St. Quintilian. lib. X; Cic. Divinatio in Caecilium; Verr. actio 1 und actionis II lib. 1; 3 St. Exercitien, freie Aufsätze, Extemporalien, metrische Uebungen und Disputationen. Hr. Oberl. Dr. Schröder. — Griechisch. 5 St. Plat. Charmides, Alcibiades I, Criton, Phaedon. Hom. Il. XIII bis XXIV. Schriftliche Uebersetzungen und Memoriren einzelner Stellen. Extemporalien und Grammatik. Der Direktor. — Französisch. 2 St. Lectüre: Gedichte von V. Hugo, Lamartine, Delavigne und Béranger aus der vom Lehrer herausgegebenen Sammlung. Louis XI. von Delavigne. Repetition der Grammatik durch Exercitien und Extemporalien. Sprechübungen. Hr. Gräser. — Philosophische Propädeutik. 1 St. Logik nach Trendelenburgs Elementen bis zur Lehre von den Schlüssen incl. Hr. Oberl. Baarts. — Religion. 2 St. Schmieder Einleitung u. das Innere der christl. Regionslehre Abschn. I — V incl. Lectüre des Ev. Joh. c. 1 — 14 incl. Geschichte der ersten 3 Jahrh. der christlichen Kirche mit besonderer Hervorhebung der ökumenischen Symbole und ihrer Entstehung. Auch sind verschiedene längere Abschnitte aus den apostolischen Briefen, dem ersten des Johannes und aus dem Briefe an die Römer, 1. Cor. 15, aus Eph. c. 1 u. 2, Col. c. 1 u. 2, Gal. c. 3 im Urtext gelesen worden, zur Begründung der betreffenden Heilslehren. Hr. Oberl. Baarts. — Mathematik. 4 St. Allgemeine Arithmetik und Stereometrie nach Grunerts Lehrbuch. Schriftliche Arbeiten. Hr. Pror. Dr. Gützlaff. — Physik. 2 St. Statik und Mechanik der festen, flüssigen und luftförmigen Körper und Akustik nach Brettners Leitfaden für den Unterricht in der Physik, Abschnitt I bis VI incl. Hr. Pror. Dr. Gützlaff. — Naturbeschreibung. 1 St. im zweiten und vierten Quartal. Wiederholungen aus dem ganzen Gebiet der Naturbeschr. W. Hr. K. von der Oelsnitz, S. Hr. Oberl. Ottermann. — Geschichte und Geographie. 3 St. Wiederholung der alten Geschichte, neuere Geschichte nach Ellendt §§ 1 — 14. Wiederholungen aus der Geographie. Hr. Oberl. Gross. — *)

---

*) Der Unterricht im Hebräischen ist auch in diesem Schuljahr sowohl in Prima als auch in Sekunda ganz ausgefallen, da sich kein Schüler zur Theilnahme gemeldet hat.

II. Sekunda.

Ordinarius: Herr Oberlehrer Dr. Schröder.

Deutsch. 1 St. Lectüre (in Lehmanns Lesebuch II. 3 u. Borussia; ausserdem Schillers Wallenstein u. Klopstocks Hermannsschlacht). Der Direktor. 2 St. Disputir- u. Vortragsübungen; Aufsätze u. Extemporalien; Poetik. Hr. G. L. Reddig. — Latein. 2 St. Virgil. Aen. Libr. I, II, III u. IV. Memoriren einzelner Stellen. Hr. Oberl. Raymann. 3 St. Cic. p. Roscio Amerino, pro rege Deiotaro (die letztere Rede wurde auswendig gelernt); Liv. l. III; 4 St. Exercitien, Aufsätze, Extemporalien, metrische Uebungen, Memorirübungen, Gramm. nach Zumpt (§ 362—630). Hr. Oberl. Dr. Schröder. — Griechisch. 2 St. Homer. Odyss. Lib. XIX—XXIV. Hr. Oberl. Dr. Schröder. 2 St. Plut. Agis und Cleomenes. W. Hr. Oberl. Gross. S. Hr. K. Fabricius. 2 St. Gramm. (Buttmann § 1—147), Exercit. und Extemporalien. Hr. Oberl. Gross. — Französisch. 2 St. Lectüre: Barthélemy, Voyage du jeune Anacharsis en Grèce. S. 1—220. Grammat. nach Sanguin § 537 bis 580 mit schriftl. Bearbeitung der dazu gehörigen Aufgaben. Hr. Gräser. — Religion. 2 St. Schmieder die Einleitung und das Innere etc. Abschn. I bis III u. V incl. Lectüre des Hiob. Darstellung der ausserbiblischen, vorzüglich orientalischen Religionssysteme vor Christo. Hr. Oberl. Baarts. — Mathematik. 4 St. Die gemeine Arithmetik und das Leichtere aus der allgemeinen Arithmetik nach Grunerts Lehrbuch der Mathematik. Schriftliche Arbeiten. Hr. Pror. Dr. Gützlaff. — Physik. 1 St. Einleitung in die Physik etc. und Abschnitt I, II u. III nach Brettners Leitfaden. Hr. Pror. Dr. Gützlaff. — Geschichte und Geographie. 3 St. Ellendt Mittelalter Per. I bis zur Mitte der IV. Periode, den Hohenstaufen incl. Geographie von Europa im Allgemeinen, besonders der klimatischen Verhältnisse des Erdkörpers, das Nöthige aus der Geologie; Spanien, Portugal, Frankreich, Niederlande, Grossbrittanien, Deutschland insbesondere. Hr. Oberl. Baarts. —

III. Tertia.

Ordinarius: Herr Oberlehrer Gross.

Deutsch. 1 St. Poetische Lectüre in Lehmanns Borussia und Lesebuch II. 2. Der Direktor. 3 St. Grammatik nach Götzinger; Metrik nach Gotthold; Aufsätze; Deklamiren; prosaische Lectüre in Lehmann II. 2 u. 3. Hr. G. L. Reddig. — Latein. 2 St. Ov. Metam I—V mit Auswahl, Prosodie und Metrik nach Zumpt. Hr. K. Dr. Kossinna. 2 St. Caes. b. civ. I u. II. W. Hr. K. Fabricius. S. Hr. Oberl. Gross. 5 St. Zumpt § 1—671. Exercitien und Extemporalien. Memorirübungen. Hr. Oberl. Gross. — Griechisch. 2 St. Hom. Odyss. V u. VI. Hr. Oberl. Dr. Schröder. 2 St. Lectüre, Jakobs II. und Xen. Anab. III. W. Hr. K. Fabricius. S. Hr. Oberl. Gross. 2 St. Gramm. (Buttmann § 1—114), Exercit. und Extemporalien. Hr. Oberl. Gross. — Französisch. 2 St. Lectüre: Charles XII. par Voltaire IV—VII Grammatik nach Sanguin von Anfang bis § 509, mit schriftl. Uebungen. Gr. Gräser. — Religion. 2 St. Erklärung des 4. und 5. Hauptstückes. Lectüre des Evang. Lucae. Längere Abschn. aus dem N. T. und Lieder gelernt. Repetition des 3. Hauptstücks. Hr. Oberl. Baarts. — Mathematik. 4 St. Buchstabenrechnung, Potenzenlehre, Ausziehung der Quadrat- und Kubikwurzeln, Gleichungen des ersten Grades mit einer Unbekannten. Geometrie nach Grunerts Lehrbuch Cap. 1—16. Schriftliche Arbeiten. W. Hr. K. von der Oelsnitz. S. Hr. K. Ehrlich. — Naturbeschreibung. 2 St. W. Mineralogie. Hr. K. von der Oelsnitz. S. Botanik und Zoologie. Hr. Oberl. Ottermann. — Geschichte und Geographie. 3 St. Römische Geschichte nach Ellendt, Geographie, Voigts 4. Cursus; Kartenzeichnen. Hr. G. L. Reddig. —

IV. Quarta.

Ordinarius: Herr Oberlehrer Baarts.

